

via vitii, quia hæc coram Deo est sinistra, id est reproba et infelix. Cum vero ait: « Ne declines ad dexteram neque ad sinistram, tunc dextrum et sinistram non inter se, sed cum media virtutis via comparat, ideoque dextrum et sinistram significant vitia utrinque virtuti, quæ in medio est, per excessum vel defectum opposita. Virtus enim est in medio, a quo declinat vitium oppositum in dextrum per excessum, in sinistram per defectum. Via ergo virtutis media est dextera, a qua si declines ad dexteram vel sinistram, aberas et peccas. Itaque vis est in eo ne declines; hæc enim particula mutat phrasim et appellationem, ut loquuntur Logici. Nam via dextera est via virtutis; declinare vero ab hæc dextera est vitium, sive declines dextrorsum, sive sinistrorsum; omnis enim declinatio et recessus a medio, quod præscribit virtus, est vitium. « Non ergo dexteram viam ambulare, sed ad dexteram declinare prohibebimur, » ait Bada.

Ita acute explicat S. Gregorius Nazianzenus, orat. 26: « Ne declines, inquit, ad dexteram, neque ad sinistram, ne per contraria in æquale malum, hoc est in peccatum incidas. Quanquam aliqui quod natura dextrum est, his verbis laudat: Vias dextras novit Deus; perversæ autem sunt sinistræ. Qui fit igitur ut qui dextrum laudat, idem rursus a dextro nos abducatur? Intelligit profecto quod dextri speciem habet, cum revera tale non sit. Quod etiam spectans alio loco inquit: Ne magnopere justus sis, nec supra modum sapiens, *Eccl. vii*. Par etenim justitiæ atque sapientiæ detrimentum affert acris tam in actione, quam in sermone animi impetus, a bono nempe, et a virtute propter excessum excidens. Hanc enim defectus et excessus pæneque labefactant, non secus ac regulam additio aliqua aut subtractio. Nemo igitur sapientior sit quam conveniat, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec norma rector, nec præcepto divino sublimior. Id vero quod tandem ratione consequemur? Nempe si modesti et compositi esse curemus, naturæ leges comprobemus; rationem duces sequamur, ordinem et disciplinam non aspernemur. »

Et S. Hieronymus in cap. xii *Zachar.*: « Devorabant (inquit) duces Judæ et tribuni ad dexteram et ad sinistram eos qui in medio itinere incedere noluerunt, nescierunt *iniquitates* et *vias xxviii*; unde Dei populus pollicetur: Nec ad dexteram, nec ad sinistram declinabimus; via regia gradiemur, *Num. xx*: Via dextera paritas est, quam Græci *quædam* vocant; sinistra, luxuries; media rectaque, frugalitas. Omnes igitur qui sunt in via dextera, quibus dicitur: Ne sis justus nimis; et in sinistra qui audiunt: Vias que ad sinistram sunt, perversæ sunt, devorans flamma consumet. » Idem in *Ecclesiasta* cap. x, explicans illud, *Cor sapientis in dextera*, etc.: « Et in Evangelio, ait, præcipitur ut nesciat sinistra quid faciat dextera sapientis, *Matth. vi*. Et quando percussim in

maxillam dexteram, non jubemur nam præbere percipienti, sed alterar: « Non de justis enim sinistram in se non habet: Presumptor enim dextrum est. Et cum ad judicium presump- tor venerit, agni a dextris, hædi vero a sinistris erunt, *Matth. cap. xxv*. » in *Prover-* bitur: Dextras vias novit Dominus; qui ventem perversæ sunt, a sinistris sunt. Qui sapiens est, semper de futuro seculo cogitat, quod dicit ad dexteram; qui vero insipiens est, de præsentibus, quod positum est in sinistra. Quæ quidem secutus idem philosophus et poeta ait:

Dextera quæ magni Ditis sub mœnibus daret
Hæc iter Elysium nobis, et læva malorum
Exeret pœnas, et ad impiam tartara mittit.

Firminus quoque noster, in præclaro *Institutio-* num suarum opere, r litteræ meminit, et de dextris ac sinistris, hoc est de virtutibus et vitiiis, plenissime disputavit. Nec putemus huic sententiam illud esse contrarium in quo dicitur: Ne declines in dexteram, neque in sinistram: hio enim pars dextera pro bono accipitur, ibi vero non tam dextera, quam declinatio dextera accusatur: ne plus sapiamus quam sapere nos necesse est; quia virtutes in medio sunt, et nimietas omnis in vitio est. »

Accedit et S. Augustinus, *epist. 47*: « Averte, ait, pedem tuum a via mala, hoc est a sinistra. Quod manifestat in consequentibus, dicens: Vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus Deus; perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt. Eas utique vias ambulare debemus, quas novit Dominus Deus, de quibus in psalmo legitur: Novit Dominus viam justorum, et via impiorum peribit; hæc enim non novit Dominus, quia sinistra est. Sicut dicturus est etiam illis ad sinistram constitutis: Non novi vos. Quid autem quod ille non novit, qui utique novit omnia, sive bona hominum, sive mala. Sed quid est? Non vos novi, nisi tales vos ego non feci. Quemadmodum illud quod dictum est de ipso Domino Jesu Christo: Quia non noverat peccatum; quid est (non noverat), nisi quia non fecerat? Ne hoc quod dictum est: Vias quæ a dextris sunt novit Dominus, quomodo intelligendum est, nisi quia ipse fecit vias dextras, id est vias justorum, quæ sunt utique opera bona, quæ paravit Deus (sicut dicit Apostolus) ut in illis ambulemus; vias autem sinistras perversas, id est vias impiorum, non utique novit, quia non eas ipse fecit in homina qui fecit hominem, sed homo sibi. Propter quod dicit: Odivi autem ego perversas vias malorum, ipse sunt a sinistris. »

IPSE AUTEM RECTOS FACIET CURSUS TUOS; ITINERA AUTEM TUA IN PACE PRODUCE, — *q. d.* Si ingressus fueris vias quæ a dextris sunt, id est vias probas et honestas, Deus, qui illas novit, id est probat et prosperat, rectos faciet, id est diriget cursus

ite tue, ut in illis feliciter et animose progrediaris per plures annos vite, quos tibi pacificos dabit, facietque ut tandem moriens in pace expectans felicitatem æternam odormias et conquiescas. Unde Polychronius in *Catena Græcorum*: « Tu, ait, abline ab omni malo et peccato: Ily interim viam tuam ad bona dirigit, tuosque inimicos everte. Indicat per hæc autem, complurium rerum eventus in nostra polestale positos non esse, sed in Dei voluntate. Is enim est qui hominum studia in terris, cæteraque omnia quæ ad æterna illa bona, quæ in coelis reposita habemus, spectant, recte provideque admi-

nistrat. » Præclare Seneca: « Si hominem videris interitum periculum, intactum cupiditatibus, inter adversa fallacem, in modis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex æquo deos, non subbit te veneritque ejus? non dices: Ista res major est atqueque quam ut credi similis huic, in quo est corporeulo, possit? Vis istuc divina descendit, animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minor transcendentem, quidquid timeamus optamusque ridentem, celestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque majori sui parte illic est, unde descendit. »

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet fugiendam esse meretricem ut pestem. Remedium fugæ suggerit vers. 15, dilectionem uxoris propriæ: sicut enim vitabitur aliena: amor enim castus pellit incestum, uxor meretricem.

1. Fili mi, attende ad sapientiam meam, et prudentiam meam inclina aurem tuam, 2. ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallacem mulierem: 3. favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus; 4. novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. 5. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant. 6. Per amantem vitam non ambulat, vagi sunt gressus ejus, et investigabiles. 7. Nunc ergo, fili mi, etiam me, si me audias a verbis oris mei. 8. Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus. 9. Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli, 10. ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, 11. et gemas in novissimis, quando consumperis carnes tuas et corpus tuum, et dicas: 12. Cur detestatus sum disciplinam, et increpationibus non acquievi cor meum, 13. nec audivi vocem documentum me, et magistris non inclinavi aurem meam? 14. Pene fui in omni malo, in medio ecclesiæ et synagoge. 15. Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui: 16. deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. 17. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. 18. Sit vena tua benedicta, et lactare cum muliere adolescentiæ tuæ: 19. cervæ carissima, et gratissimus hinculus, ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter. 20. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius? 21. Respiciat Dominus vias hominis, et omnes gressus ejus considerat. 22. Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suarum constringitur. 23. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam, et in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

PRIMA PARS CAPITIS.

1. FILI MI, ATTENDE AD SAPIENTIAM MEAM (Septuaginta, *sermonibus meis appone aurem tuam*), ET PRUDENTIÆ MEÆ INCLINA AUREM TUAM. — Salomon notum sapientis documentum de fuga meretricis daturus, more suo discipuli attentionem excitat, ut ille advertat et ponderet quanti illud sit momenti. Dicit ergo illi: Silens studiose attende et intendis meis sermonibus. Nam silentium disci-

puli disciplina custodia est. Unde Pythagoras suis discipulis silentium quinquennale indicabat. 2. UT CUSTODIAS COGITATIONES, ET DISCIPLINAM LABIA TUA CONSERVENT. — Septuaginta, *ut custodias cogitationem bonam* (Aquila, *Symmachus et Theodotus, scientiam bonam*), *sensus autem laborum meorum mandat tibi, q. d.* Labia mea enuntiant internam mee sapientiæ cogitationem, ejusque ser-

sum, ac manant ut illum simpliciter, uti enun-
tiatur, accipias, menti imprimas et opere exe-
quaris. Alii legunt, *sensum laborum meorum mando*
tibi. « Cogitationes » ergo hic non discipuli, sed
sapientie et Salomonis accipe, *q. d.* Attende ut cus-
todias meos conceptus, meas cautiones, mea con-
silia, ut verit Vatablus. Unde Chaldeus verit, *ut*
admonitus sis in consilio; Syrus, *ut cautus sis in*
cogitatione; A. Levi, *ut custodias cogitationes, qui-*
bus instituas alii prudentiam. Sic et Aben-Ezra (f).
Consequenter tamen cogitationes quoque disci-
puli accipe; qui enim custodit cogitationes sap-
ientie, hic atque et suas custodit. Nam hanc
suarum custodiam docent et prescribunt cogi-
tationes et consilia sapientie. Unde S. Gregorius,
II part. Pastor. admon. 15: « Ut custodias cogi-
tationes tuas: Nihil quippe, ait, in nobis est corde
fugacius, quod a nobis toties recedit, quoties per
veras cogitationes defluit. Cum ergo cogitatio
per custodiam restringitur, cor, quod fugere con-
sovit, invenitur. »

NE ATTENDAS FALLACIE MULIERIS. — Hæc verba
non sunt in Hebræo expresse, sed facile subin-
telliguntur. Unde Septuaginta, et ex iis Noster ea
expresserunt. Quocirca hæc verba pendent ab iis
quæ sequuntur: « Fava enim distillans labia
meretricis, etc. » ex iis enim hæc conclusio dedu-
citur: « Ergo ne attendas fallacie mulieris. » Igitur
per *fallaciam* intelligit blanditiam, molliorem
et elegantiam verborum, pulchritudinem, orna-
tum vestium, faciei suam, fictiones, artes et frau-
des, quibus meretrices amasios ad se pellicere,
inescare et pervertere solent. Unde Septuaginta
habent, *ne intendas exiis*, id est male, prave,
perversa, *fallaci mulieri*; S. Hieronymus in cap.
XIII Isaie, *ne attendas pessimam* (S. Cyrillus, lib.
XV de Adorat., *inprobam mulierem*; quare mirum
est Arabicum vertere, *ne auscultes mulieri bonæ*,
S. Chrysostomus, hom. 14 ad Popul. legit, *ne dis-*
cas pulchritudinem alienam, et *ne occurras mulieri*
formicanti; mel enim, etc., quasi hæc pertineant ad
oculos; ac si dicat: Noli aspicere faciem pulchram
meretricis fucate et ocmpte, quia hæc pulchri-
tudo aliena est, id est aliena mulieris, quæ tua
non est uxoris. Rursum *aliena*, quia pulchritudo
hæc sepe non est naturalis, sed fucata, et aliunde,
puta a sibio, purpuris et fuce, atque a vestibus
et gemmis mutata. Maxime enim mulier ferit et
vulnerat aspicientem perpulchram faciem et ocu-
los, instar serpentis et basilisci. Magis tamen hoc
loco respicit ad verba blanda et fallacia meretri-
cium, ut patet ex seq. Hisce enim multos decipi-
unt et demerant, præsertim accedente fuce
faciei et oculorum. Unde de iis canit Colurus:

« Sidera non tot habet celum, non flumina pisces,
« Quot scelerata gerit femina mente dolos.

*) Roman mulieres, ut custodias cogitationes solertes et
sæces, mea scilicet monita, et ut scientiam labia tua in-
veniat, ut scite semper loquantur labia tua, prædenter
occurrant, si opus fuerit, Hebræis verbis.

Cum enim mulier nec viribus, nec ingenio, nec
consilio polleat, hinc ad dolos se convertit, ut
quod illis non potest, hisce obtineat et perficiat:
sicut animalia imbellia eadem de causa dolosa
sunt, ut vulpes, simiæ, feles, etc., cum ex ad-
verso leones, tigrides, lupi non dolosi, sed vio-
lenti sint: quia cum viribus et robore sua exae-
quantur, dolo non indigent. Adde, mulierem quid
serpentinum habere. Videtur serpens Evam se-
duccens, illi totique sexui suam indolem et frau-
des inhalasse. Adde et meretricium malitiam stu-
diumque fallendi, imo continuum exercitium,
quo novas indies decipiendi artes excogitant, ut
non aliud cogitare, non aliud somnari, ac tota
ex fraudibus consuta videantur. Idem argumen-
tum tractat Ecclesiasticus, cap. XV, vers. 22, ubi
plura hæc de re dixi. Quare hic brevis ero.

Præclare S. Hieronymus, lib. I Contra Iovin., sub
finem: « Amor forme rationis oblivio est, et in-
sanie proximus, fœdum minimeque conveniens
animo sospiti vitium; turbat consilia; altos et
generosos spiritus frangit; a magnis cogitationi-
bus ad humillimas detrahit, querulos, iracundos,
temerarios, dure imperiosos. serviliter blandos,
omnibus inutiles, ipsi novissime amori facit. Nam
cum fruendi cupiditate in-atiabilis flagrat, plura
tempora suspitionibus, lacrymis, questionibus
perdit; odium sui facit, et ipsi novissime sibi
odio est. » Et post nonnulla: « Doctissimi viri vox
est pudicitiam imprimis esse retinendam: qua
amissa omnis virtus ruit. In hæc muliebrum vir-
tutum principatus est, hæc pauperem commen-
dat, divitem extollit, deformem redimit, exornat
pulchram: bene meretur de majoribus, quorum
sanguinem turba sobole non vitiat. »

Quocirca S. Augustinus, lib. De Honest. mulier.
cap. II: « Inter alia, ait, certamina Christianorum
sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana
est pugna, et rara victoria. Gravem namque sor-
tita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur
et semper timetur. » Et S. Ephrem, serm. Adversus
improbos mulieres: « Quid enim est mulier, ait?
Laqueus comptus, et homines in voluptates illi-
ciens, quæ splendida quidem specie et excelso
collo oculis annuit, et genis arridet, lingua vero
dulciter canens voce alios decipit, et sermone pel-
licit, etc. Quid est mulier? naufragium super ter-
ram, fons nequitiæ, thesaurus immunditiæ et ma-
litiæ, mortifera conversatio atque confabulatio,
oculorum perniciosa, animarum exitium, cordis
speculum, juvenum perditio, sceptrum inferni, et
concupiscentia præceptis. Quid est mulier? causa
diaboli, requies serpentis, diaboli consolatio, do-
lor inconsolabilis, caminus succus, malitia in-
curabilis, diurna confabulatio, hospitium lascivorum
et officina demonum, » etc. Hæc de causa
S. Hieronymus ad Nepotianum, de vita clericorum
et sacerdotum: « Hospitium, ait, tum aut raro
aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes
puellas et virgines Christi aut æqualiter ignore,

aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansi-
tes: nec in præterita castitate confidas. Nec sanc-
torum Davide, nec Samsone fortior, nec Salome
potes esse sapientior. Memento semper quod pa-
radisi columnæ de possessione sua mulier eje-
cerit. »

Porro hæc alias meretricium fallacias est hæc
una et præcipua, quod ita fugiunt, ut velint vi-
deri; ita pugnant, ut velint vinci; ita odia exer-
cent, ut tunc ament maxime. Ita de Cleopatra
scribit Plutarchus in Antonio: « Dabat operam ut
sepe lacrymarum videretur, statim autem lacry-
mas abstergebat, occultabatque quasi vellet An-
tonium latere. » Audi S. Hieronymum, epist. 47:
« Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet
humeros, et quasi videri noluert, celat festina,
quod volens detexerat. » Quocirca adolescens ro-
gatus a meretrice cor noli se audire, nec attingere,
apud Plautum in Bacch. respondet:

Quia isthæc lepida sunt memorati,
Eadem in usu, atque ubi periculum facias, aculeata sunt:
Animum fodiunt, bona destitulant, facta et famam saciant.
Apage a me, apage.

S. Nilus in Sententiis, cap. De fornicatione: « Mu-
lierum, ait, cœcus fuge; ut primum eas convenis-
ris, depressa humi facie leniter ac sedate loquan-
tur, atque ejusmodi lacrymas edunt, quæ com-
miserationem redolent: modestè sese com-
ponent, et frequenter ingemiscunt: de castitate
peruncuntur, et studiose ac diligenter audiunt.
Si eas proplexeris, paulisper caput attollunt. Post
etiam defixioribus oculis te intuentur, ac subri-
dent, imo profusum et dissolutum risum edunt,
ac denique omnes mortis hamos et præstigiarum
illecamenta (imo philtia et veneficia), atque om-
nis generis censes, quibus anima obsidetur, ex-
pediunt. » Et mox: « Viret, ait, herba, quæ aquis
propinqua est, et libidinis affectus in muliebri
colloquio. Forma fucata intemperantium exitium
et naufragium est. » Quomobrem S. Gregorius
Nazianzenus in Præceptis ad virginem:

Virgo, ait, sis oculis, virgo sis auribus atque
Lingua; nam tribus his facile est decedere recto.

Diogenes duas mulierculas inter se colloquentes
conspicuas, « Aspis, ait, a vipera venenum multat-
ur, » ita Antonius in Melissa, part. II, cap. xxxv.
Secundus Philosophus, rogatus ab Adriano impe-
ratore « quid esset mulier, » respondit: « Viri nau-
fragium, domus tempestas, vita captivitas, leena
completens, exornata Soyila, animal malitosum,
malum necessarium. » Ita Maximus, serm. 30. Ubi
et citat S. Basilium dicentem: « Insuperissimæ
mulieres naturali pulchritudine carentes ad colores
confugiunt, et sunt, utita dicam, ornate ad spec-
tandum, per ornatum inornate, et per dedecus
ac turpitudinem turpiore. » Plura vide apud
antiores jam citatos, et Tiraquellum in lege 9 Con-
sualis.

Mystice, omnia que hic de meretrice dicuntur,
Olympiodorus et Polychronus in Catena Græcæ,
ac S. Hieronymus in cap. vi Ezech., et alii adap-
tant heresi; Lyranus, idololatram; tu adaptat vo-
luptati et concupiscentiæ, de qua scilicet ait Damas-
cenus, lib. III Paral. cap. xxviii, ex S. Chrysos-
tomo: « Cæni similis est voluptas, o homo; si eam
propellas, fugit; si alas, remanet. Malorum om-
nium metropolis est voluptas. » S. Basilus, Ex-
hort. ad baptismum: « Voluptas, ait, diaboli ha-
mus est ad exitium trahens. Voluptas peccati mater
est, voluptas sempiterni vermis nutrit: que
eum, qui se fruitur, ad aliquod tempus delinit,
post autem felle amarissimis digeritur. » S. Gregorius
Nazianzenus in Tetrastichis: « Omnis viri esca est
voluptas objecta, ad exitii hamum avidiores ani-
mos facile atraheus. » Quocirca voluptatem quasi
meretricium ita pingit Claudianus, lib. II in Laude
Stilicis:

Blanda quidem vultu, sed que non tetoritur alla,
Internas fucata genas, et amicta dolosæ,
Illecebros, torvos auro circumnigat, hydrops,

puta serpentes.

Igitur:

Sperne voluptatem, moestæ empta dolore voluptas.

Quæcumque ergo de meretrice jam dicta, et
deinceps dicenda sunt, mutato nomine concupis-
centiæ attribue.

Rursum Beda, Cyrillus Alexandrinus, lib. XV
De Adorat., et Cyrillus Hierosolymitanus, De decem
dogmat., catechesi 4, et S. Hieronymus, in cap. xv
Isaie, per meretricem accipiunt sapientiam huma-
nam, quæ instar meretricis fucata, et pigmentis
eloquentiæ illita, mellicis dulcioris, oleo nitidiores
effundit sermones.

3. FAVUS ENIM DISTILLANS LABIA MERETRICIS, ET
NITIDUS OLEO GUTTUR EJUS. — Hebræice, *quin favum*
distil. labia extrinsec, et lenius oleo guttur ejus.
Ita Vagrinus et Vatablus, qui pro lenius verit,
blandus; alii, labrius alii, lenigatum pro
guttur ejus; Arabicus, *quoniam mel distil. ex thro-*
bus labiis mulieris meret. os tuum brevi tempore
oblinit mellitis et oleatis verbis; Septuaginta, *mel*
exim distillat a labiis fornicariæ, que ad tempus
impugnata fauces tuas: Itebrum eum *quod dicitur*
idem est quod mollis, tener, levis, lenis, lubri-
cus; ita autem solent esse pinguis. Forte etiam
Septuaginta pro *chale* legerunt *quod dicitur chole*, id est
pinguis, pinguedo. « Impinguit » ergo, id est, pin-
gi blanditiarum oleo delinit, multos, infrenit,
inescat. Unde Syrus verit, *milliora oleo verba ejus*;
Chaldeus, *tenus oleo guttur ejus*. Apposito Hugo
Victorinus, lib. De Carnal. nugis vitandis: « In
favo mellis, ait, duo sunt, scilicet mel et cera. In
facie meretricis similiter duo sunt, scilicet decore
et gratia, hoc est, pulchritudo oris, et dulcedo
sermonis. Cera succendit ignem, mel probet
fructum: sic pulchritudo meretricis ignem desiderium

inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subvertit mentem; stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua molit et facit dulcia.»

Rursus amoris emblema est alveolus apum ex quo prodit absinthium, hoc est, «ex dulci amaritudo.»

Vilius alveolis si forte absinthia nasci;
Sic specie dulci torquet amarus amor.

S. Chrysostomus, hom. 14 ad Populum, «favum» labiorum refert ad oscula blanda meretricum, nitidam guttur præ oleo ad sermones blandos eorumdem; Hugo vero Cardinalis «oleum» refert ad eorum unguenta, quibus se inungunt ut gratum odorem redoleant et spargant. «Meretrix enim, ait Chrysostomus, amare nescit, sed insidiatur tantum; venenum habet illius osculum, toxicum de perniciosis. Si vero non statim apparet, propterea magis apum fugere oportet, quoniam obtegit perniciem, et mortem habet celatam, nec a primordiis manifestam apparere permittit. Ilaque si quis voluptatem sectatur, et vitam lætitiæ plenam, fornicantium consortia mulierum fugiat; bellis enim innumeris et tumultibus amatorum animos implent, et continuas ipsis pugnas contentionesque conflant per verba, per opera omnia.» Et S. Basilius, De Virgin.: «Formosorum, ait, oscula cavere oportet, non secus ac venenatorum animalium morsus; diffunditur enim virus ex osculo in omne corpus.»

Melius alii passim utrumque referunt verba meretricum; hoc enim ipse ita edulcorant, ut mel stillare (unde Diogenes ea vocabat «mellitum laqueum»), ita emolliunt, ut oleo molliora videantur, ac efficacissima sint ad animos quantumlibet viriles delinendos et emolliendos: instar olei enim lubricant et influunt in animos, eosque emolliunt, enervant et effeminant; sunt enim voces et cantus Sirenum. Unde Ulysses, id est vir sapiens, obturat aures et fugit, ne iis dementetur et perdat. Audi S. Fulgentium, lib. II Mythologia: «Sirenes, ait, græce tractorie dicuntur; tribus enim modis illecebra amoris trahitur, aut cantu, aut visu, aut consuetudine. Amantur enim quædam speciei venustate, quædam etiam lenocinante consuetudine. Quas Ulyssis socii obturalis auribus transeunt; ipse vero religatus transit: Ulysses enim græce quasi *ὁ δεινός τις*, id est omnium peregrinus dicitur. Et quia sapientia ab omnibus mundi rebus peregrina est, ideo astutior Ulysses dicitur est. Denique Sirenes, id est delectationum illecebras et auditv et vidit, id est agnovit et iudicavit, et tamen transiit nihilominus. Ideo quia audite sunt, mortuæ sunt; in sensu enim sapientis, omnis voluptatis affectus moritur. Ideo volatiles, quia mentes amantium permeant celeriter. Inde gallinæcos habent pedes, quia libidinis affectus omnia, quæ habet, aspergit. Denique et Sirenes dicte sunt: *σείρα* enim græce traho dicitur.»

Quocirca S. Cyprianus, De Singul. cleric.: «Nunc, ait, blanditias exhibet meretrix, nunc verba mollia; et quod venenosus est super cuncta, psallere delectatur, cupis cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem.» Quocirca S. Hieronymus ad Gaudentium: «Vocis dulcedines, ait, per aures animas vulnerantes fugiat.» Denique S. Ambrosius, lib. II De Abraham, cap. XI, docet omnes sensus custodiendos esse castitatis studioso: «Quia et visus procacior, ait, habet crimen;» et ideo scriptum est: «Noli intendere fallaci mulieri, neque capiaris oculis, neque abripiaris palpebris. Et in ipso auditu crimen est, si seducat meretrix, et multo blandimento sermonis et laqueis labiorum suorum te alliget.»

Porro verba blanda et fallacia recte comparantur oleo: primo, ob similem lubricitatem; secundo quia oleum vinum maximam habet interius pene trandi: eandem habent verba mellita; tertio, quia oleum, auctore Galeno, lib. XI De Simplic. medicament. facult. cap. VII, mordenti pariter ac lenienti facultate præditum est: «Nam quod oculos, ait, mordet, quod guttur exasperat, sive ad tussim provocet, quod ventrem rorat, atque secessus sanguinolentos efficit, abunde magna testimonia sunt, mordacem illi inesse facultatem. At quod ulcera dolore liberet, et ventris mordicationes, aut irrigatum, aut infusum omnino sanet, quæque morsu irritantur mitiget; cum et ipsa non parva sint contrarie ipsius facultatis indicia, plane omnia sunt.» Hæc ille. Recte igitur verba lenia, sed quæ aculeos in animum defigant, cum oleo comparantur, quod (ut est apud Galeonem) item lenit, interiora mordet. Inde os sublinere idem est, quod adulando et blandiendo decipere.

Mystice, S. Ephrem tract. De Abstinentia a cupiditatibus, hæc accipit de voluptate carnis sive concupiscentiæ: «Meminerimus, ait, illius quod ait Parmenias: Favus distillans labia meretricis, dulcedinem concupiscentiæ favo significans; quodque infert dicens: Quæ ad tempus nitidum guttur efficit, postea vero bile amarum invenies, et aculeus accipiti gladio.» Idem in illud, Attende tibi, cap. II: «Resiste, ait, urenti concupiscentiæ, ut flammam, quæ nunquam exstinguetur, effugere queas. Nam si nos perturbavit superaverint, non recedent a nobis, quin et magis adurunt nos insolescent. Audi eum, qui ait: Mel distillat a labiis mulieris fornicariæ, quæ ad tempus impinguat fauces suas, postea vero felle amariorum invenies, et aculeam magis gladio accipiti.» Præclare Boetius, lib. III De Consolat. ante medium:

Habet omnis hoc voluptatis,
Sirenis agit fruentis,
Apiumque par voluptionum,
Ubi grata mella fudit
Fugit, et nimis tenaci
Fecit icta corda morari.

Himisi cule est emblema Sabini:

Com puer alveolo furatur mella Cupido
Foranti digitum cuspidis fixit apus.
Sic etiam nobis brevis est et peritura voluptas,
Quam petimus; tristi mista dolore nocet.

Quocirca recte ait Salomon favus distillans, quia voluptas tantum dat stillam mellis, mox datura mare fellis: ex adverso virtus dat stillam fellis, mox datura mare mellis.

Idipsum pulchre representat Barlaam Josaphat regi apud Damascenum in Histor. cap. XIII, per parabolam hominis fugientis unicornem, ac apprehendentis arborem, ex qua stillabat mel, quo inescatus homo perit: nam duobus muribus hominem corruit in subjectum barathrum: unicornis enim est mors; arbor vita, vel voluptas; duo mures sunt dies et nox sibi continue succedentes vitæque consumentes; barathrum est gehenna.

4. NOVISSIMA AUTEM ILLIUS AMARA QUASI ABSINTHIUM, ET ACUTA QUASI GLADIUS BICEPS. — Syrus, quasi gladius duplicis acies, qui scilicet utrimque acutus est habetque aciem, qua utrimque scindat et secet. Septuaginta, postea vero amariorem relle invenies, et aculeam plusquam ense accipitem; Arabicus, novissime autem amaritudo ejus amarior absinthio, et acuet multo magis quam gladius habens duo ora, id est duas acies.

Pro absinthium hebraice est *לואנה* laana, quod nonnulli vertunt amaritudo, tartarum vel venenum; communiter tamen vertunt absinthium. Significat ergo mel sermonum meretricis in fel dolorum converti: dolorum, inquam, qui tam acuti et lethiferi sunt, ac si gladio bicipiti indici fuissent; perinde ac mel omniaque dulciana a stomacho in fel et bilem amaram et dolorosam convertuntur, uti docent Galenus et medici. Sicut enim gladius biceps corpus dissecat, sic sermones cantusque meretricum per aures in animum penetrantia, eam suo acumine transverberant et dissecant. Amaritudo hujus absinthii et acumen hujus gladii sentitur a fornicariis: primo, in sordibus, nausea et morbis, præsertim in lue Neapolitana, quibus Deus fornicationem castigat; secundo, in damnis honorum fortunæ: meretrices enim euungunt opes; tertio, in infamia; quarto, in litibus, rixis et pugnis cum meretrice, qua impudenter cane vitæ omne in amasium evomit; quinto, in reatu peccati et iræ Dei, ac denique in morte præsentis et æternæ, quam adducit; sexto, quia hominem privat ingenio, judicio, fortitudine tam mentis quam corporis, facitque hominem quasi irrationalem et brutum. Unde nonnulli nomen Venus derivant a *ve*, et *nis*, quasi dicas: sine mente, amens, quia hominem dementat et quasi exerebrat. Vera est hæc allusio, at non verum etymon; nam Venus a vinculo est dicta, puta viare, id est ligare, ait Varro, quod amant in amasium colligit et constringat. Idem notavit

Plantus in Truculentis: «In melle, ait, sunt hæc lingue vestre (meretrices alloquitur), atque orationes lacteæ, corda in felle sunt sita atque acerbo aceto. E linguæ dulciana dicta datis, corde amare factis.» Verum sicut absinthii amaritudo tollitur per acetum, si scilicet illud aceto maceres, sic et noxa auditu vulnerati cantu meretricio tollitur compunctio et poenitentia. Audi Bedam: «Novissima ejus, ait, quasi absinthium. Cum ergo expertus est absinthii amaritudinem, adhibeat poenitentiae dolorem. Nam dolor ille hoc dolore corrigatur ac solvitur.» Porro nota est absinthii amaritudo vel ex ipso nomine; Græcis enim dicitur *ἀψίνθη* ab *ἀψίνθη*, id est a tangendo, quod nullum animal ob eximiam amaritudinem hæc herbam attingat. Veteres Græci Comici *ἀψίνθηον*, id est impotabile vocarunt, quod hæc vix ullus ob insignem amarorem possit habere. Tam amara est luxuria, utpote quæ vires corporis debilitat, templa Spiritus Sancti, ut ait Paulus, profanat, et in lupanar convertit turpitudinis. Hæc prava cupiditatis pulchritudinem tollit, salutem eripit, putidissimas ægritudines infert, celere senectutem affert, famam eripit, et omnem corporis florem, ac optimam dispositionem diripit. Luxuria famam denigrat, ingenium hebetat, voluptatem captivat, appetitum illigat, sensum infatuat, et hominem rationis comitum quodam modo in brutum convertit. Ejus initia blanda quidem sunt et quasi melle illita, sed novissima amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps; media autem tot periculis, tot molestiis, tot inquietudinibus plena, ut impudicus etiam in læta vita pro brevissima voluptate dolorem centuplicatum recipiat.

Denique Josaphat rex apud Damascenum in Histor. cap. XXIV, ad hunc locum alludens, imo eum citans et explicans de mundi pompis ac deliciis: «Quid ergo, ait, perditis (patrem regem Abenner alloquitur) atque insane gloriæ eam retines et amplecteris, quæ instar reconium florum marcescit atque delectur, et exerecanda ac fœtidissima deliciæ, ventrisque et eorum quæ infra ventrem sunt affectiones, quæ quidem ad aliquod tempus stultorum sensus oblectant, ceterum am amaris felle postea digeruntur, tum nimium, cum umbra ista atque imanis hujusce vite insomniæ præterierit, atque in perpetuo ignis nunquam exstinguendi ac tenebrosi cruciatu eorum amatores et in iniquitatis operam dant, provolvuntur, ubi insomnis vermis absque ullo fine ipso corrodet, ac pa petuus ignis in infinita sæcula eos concremabit.»

Quocirca S. Ephrem, tract. Adversus improbas mulieres, hoc remedium contra mulierum speciem et illecebras suggerit: «Et ne respicias mulieris speciem, sed averte ab ea oculos non permanens in loco ejus. Quando enim ris mulierem formosam, atque illustrem futibus oculis, præclara forma, genes nilen

aspectu suo eximiam quamdam speciem prae se ferentem, ut exardescat animus, libido augeatur, cogita terram esse quod miraris, cineremque quod incendit, et comprimetur insana tua cupiditas. Explica quoque faciei pellem cogitatione, et cernes tunc omnem ejus pulchritudinis vilitatem. Nihil enim nisi ossa, nervos, fetoresque reperies. Cogita etiam tandem senescentem, commutatam, morientem, totumque illum evanescentem pulchritudinis florem. Cogita quid admireris, et erubescere. Erubescens respisce, et penitentiam age. » Id reipsa praestitit S. Ephrem. Quadam enim vice ingressurus civitatem, rogavit Doum ut ei occurreret quippiam bonae edificationis. Et ecce occurrit ei meretrix, quam in eum intuens, ab eo inerepta respondit: « Me deceat te intueri, te vero terram; quia Eva ex Adamo facta est, Adam vero, puta vir, ex adama, id est ex terra. Tu ergo inspicere matrem tuam. » Ita habet Vita S. Ephrem. Plura vide apud Isidorum Pelusiotam, lib. IV, epist. 129, ubi tractans illud 1 Cor. cap. vi: « Qui fornicatur, in corpus suum peccat, » decem illius loci expositiones, et totidem damna scortationis recenset. Vide S. Chrysostomum, hom. 24 in epist. ad Rom., et hom. 5 in I Thessal.

5. PEDIS EJUS DESCENDUNT IN MORTEM, ET AD INFEROS GRESSUS ILLIUS PENETRANT. — Pro penetrant hebraice est יתכנסו *itknesu*, id est sustentabunt, fulciant, fovebunt, roborabunt infernum, sicut sustentant paries fulero, ne cadat et pereat. Simili enim modo meretrices sustentant infernum, quia major pars hominum damnatur propter libidinem, q. d. Vacuaretur, et quasi caderet infernus, nisi libidinosi cum impleret et sustentarent, ait Cajetanus et R. Levi: « Gressus ejus, inquit, mortem fovet et firmant, hoc est, summopere conferunt ut mors admirabili prorsus ratione inerat, velut si mortis manus fulciant, eisque ad vitam auferendam robur suppeditent. » Libido ergo est fulcrum et basis inferni. Tigurina, *incessus ejus ad inferos trahit*; Pagninus, *infernum gressus ejus tenebant*; Septuaginta, *imprudencia (vel insipientia) enim pedes ducunt utentes ea cum morte (Scholiastes, cum dolore) in infernum.* « Imprudentia, » id est imprudentis et insolentis meretricis pedes ducunt eos qui illa impure utuntur ad mortem et infernum. Aut « insipientia, » id est insipientium hominum qui insipienter meretricem adocent, pedes ducunt ipsosmet utentes ea ad mortem et infernum. Est prosopopeia significans summam fornicatorum imprudentiam, adeo ut videantur ab ipsa imprudentia et insipientia regi, agique in mortem et gehennam. Mortem intelligunt presentem, tum aeternam; libido enim spiritus et sanguinem exhaurit et inficit, itaque mortem advocat et accelerat, non unam, sed plures. Unde S. Cyprianus, *De Singular. cleric.*, in fine: « Per infinita dedecora, inquit, multiples mortes involvit in perniciem perditorum. » Id veteres representantur per Seyllam et Charybdim, quas

finxerunt feminas in fretum Scyllum praecipitatas, in scopulum et voraginein fuisse conversas, inter quas cum navigant naute, aquarum aretarum vorlicibus abrepti vel ad scopulum colliduntur, vel a voragine cum meribus sorbentur. Unde Scylla dicta est a *σκόλα*, id est confusio, ait S. Fulgentius, lib. II *Mythol.*; vel, ut alii, a *σκόλα*, id est a spoliando; aut a *σκόλα*, id est vexando; Charybdis vero a *χάραξ*, id est ab hiando, et *πύλος*, id est sorbo. Per Scyllam ergo et Charybdim representantur duos maxime periculosos humanae vite scopulos, in quos major pars hominum impingit et colliditur, scilicet iram et libidinem. Ira enim hominem facit amentem, in furorem agit, et in rixas, caedes et ignes profrudit; libido vero est quoddam animi delirium, quod hominis opes, nobilitatem, famam, sanitatem, vitam, animam, aeternitatem haurit et absorbet. Facit enim amor ut turpia videantur honesta, ac deformia pulchra, damnosa utilia, tristia laeta, funesta augusta stulte amanti apparent, ut ob vilem me retriem opes, famam et vitam prodigit et praecipitat. Ita S. Fulgentius loco citato, et fusiis Natalis Comes, lib. VIII *Mythol.* cap. XXIII.

6. PER SEMITAM VITAE NON AMBULANT, VAGI SUNT GRESSUS EJUS, ET INVESTIGABILES. — Septuaginta, *vias vitae non ingreditur; lubrica autem orbita (Aquila, flexus; Symmachus, gyri) ejus, et non bene investigabiles.* Ita habent Romana, licet Complutenses deleant *vias vitae non ingreditur. Pro lubrica praecito est *επιπέδα*, id est fallaces, infidiae, dubiae, periculosae, perniciosae, item lubricae, *επιπέδα* enim vocatur, qui in lubrico non potest consistere, titubans, vacillans fallente vestigio. Syrus, *error sunt semitae ejus, et ignorat*; Chaldaeus, *instabiles sunt semitae ejus, et ignorat.* Hebraea ad verbum habent, *viam vitae forte libras* (hoc enim est hebraice *המלס tepalles*; male ergo vertit Cajetanus, *ne forte exponderes* (id est, inquit, ne minime ponderes *viam vitae*) et *expandis? vagi, vel mobiles gressus ejus, ut non cognoscas*, id est ut sint tibi inognoscibiles et impervestigabiles, q. d. Si quis *viam vitae*, quae ducit scilicet ad vitam, hic sanam et prosperam, in caelis vero beatam et aeternam, noli sequi pedes et gressus meretricum, quia ipse per *viam vitae* non ambulat, sed *vaga sunt*, et aestibus libidinum ita varie jactantur, ut impervestigabiles sint *viae earum, desideria et actiones.* Amor enim vagus facit cor vagum, cor vagum facit phantasiam vagam, phantasia vaga facit vagi pedes, manus totumque corpus. Noster Salazar *non scies, vel cognoscas*, exponit, q. d. Si forte te penitentem ingressus in domum et anticum meretricis, ac referre pedem velis, non scies iter, quia reverti debeas, quia antra haec sunt extra communem semitam, ideoque carent vestigiis hominum, ut videantur esse antra mortis et inferni, a quo non est reditus ad vitam: quo significat eos qui semel implicuerunt se amoribus meretricis, egre ac vix redire ad frugem et castitatem, quasi*

In fossa et inferno Cupidinis depressi et demersi essent, nec inde sursum ascendere valerent. Alter R. Salomon: Non scies, ait, tibi cavere, nisi quando qualeris et coorris. Hoc versu et praecedentibus alludit ad lupanaria, fornices et antra meretricum, quae speciem mortis et inferni referunt; imo olim subinde erant in ipsis mortuorum sepulcris, juxta illud Martialis, lib. I:

Abscidunt spurcas lae monumenta lupas.

Alludit enim ad id quod dixit cap. II, vers. 18 et 19: « Inclinata est ad mortem domus ejus, et ad inferos semita ipsius; omnes qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitae. » Vide ibi dicta (1).

Porro stollida est Rabbiorum apud R. Salomonem expositio, qui sic explicant, q. d. Deus patere nolit his qui singula praepcepta observant, certa singulorum premia, ne mortales, animadvertentes cum mandato major merces proposita esset, illud amplecterentur, caeteris neglectis. His ergo ait: Ne liberes legis semitas, quamnam amplectenda, quae descendenda; nam vagi sunt gressus ejus: amovit nempe Deus explicationem semitae legis, nec ejus cognitionem concessit. Stollida, inquam, imo impii; quid enim legi cum meretrice, de qua hic agitur?

7. NUNC ERGO, FILI MI, AUDI ME, ET NE RECEDAS A VERBIS ORIS MEI. — Septuaginta *ne *ἀπέχω*, id est *intiquatus et irritus facias sermones meos.* Solent enim juvenes amoribus impliciti sapientum monita, quasi senum deliria spernere et irrita facere. Auctor *Catena Graecorum* notat *non nunc trifarum accipi.* Vox haec *nunc*, inquit, quandoque adverbii temporis notionem obtinet, ut: « Ex hoc nunc et usque in saeculum. » Nonnunquam temporis momentum denotat, ut: « Nunc turbata est anima*

mea. » Interdum vero rei statum et qualitatem indicat; atque hoc sensu hic usurpatur. Quia, inquit, ita comparatus es, ut ad imposticem et delosam illam mulierculam divertere velle videaris: doctrinam meam exprime atque confirma opere, quod utique futuram est, si virtutem consecutus ab improbitate procul recesseris. Haec ipse. *Quarta* et genuine, *non nunc Hebraei post recentia damna meretricis apte subiungunt, quasi particula concludentis et adhortantis ad ejus fugam, q. d. Dixi meretricem esse amarum, erem absinthio, aculeorem gladio accipite, ducere ad mortem et infernum, etc. « Nunc ergo, fili mi, etc. longe fac ab ea viam tuam; » ne turpi et modica voluptate tanta diam insipienter tibi accersas. Simile *nunc* est Josue cap. XXIV, ubi Josue recensitis Dei in Israel beneficis, adhortans ad ejusdem cultum concludit, dicens: « Nunc ergo timeat Dominum, et servite ei perfecto corde. » Et *Deuter.* X, 12, ubi Moses, praemisit Dei praepceptis et promissis, adhortans concludit: « Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum? » Simile est *nunc* Samuelis I Reg. XII, 7.*

8. LONGE FAC AB EA VIAM TUAM, ET NE APPROPINQUES FORIBUS DOMUS EJUS. — Totum enim remedium fornicationis, tota salus sita est in recessu et fuga meretricum et occasionum, ubi nervose et elegantiter docet S. Cyprianus, toto tract. *De Singular. cleric.*, quem genuinum esse S. Cypriani partum docet Cardinalis Baronius, tom. II *Annal.* in *Cypriano.* Imo Apostolus I *Corinth.* VI, 18: « Fugite, inquit, fornicationem. » Nam meretrices fores attingere et vel leviter manu pulsare, potest et solet esse impure fornicationis exordium.

Mystice, levissima meretrix est levitas mentis, cuius fores, id est primus ingressus, vir religiosus vitare ac fugitare debet, nisi velit majoribus vitis fedari: levitas enim mentis, scurrilicis, detractiones et subamantiones generat, iras in his qui delusi sunt, atque indignationes exsuscitat, et in apertas contumelias ultra citroque jactatas non semel prorumpit. Haec inimica est compunctionis, hostis devotionis, mater autem inepta levitatis, quae solet saepe in tristitiam ac dolorem desinere. Quia scriptum est: « Rixus dolores miscibunt, et extrema gaudii luctus occupat. »

9. NE DES ALIENS HONOREM TUUM, ET ANNOX TU CRUELI. — Pro honorem hebraice est *תהאד*, est celebritas, dignitas, honor, gloria, majesta a qua aliquis celebratur, et quae celebrem et gloriosum reddit.

Igitur hoc loco pro honorem, primo, accipe integritas castitatis decus et famam, q. d. Ne honorem et decus castitatis perdes pro dedecus fornicationis, imo decus hoc perdgas tradasque alienis, scilicet infamibus meretricibus et lenonibus. Unde Chaldaeus vertit, *ut non des aliis virtutum tuam.* Ita Janensius.

Secundo, pro honorem accipe honores publicos,

(1) Varie et hodiernis quoque hoc comma se exponitur, praesertim (quia ambigunt, verbum *thepalles* sitae secunda an vero tertia femina futuri persona Rosenmullerus, *sentiam vitae ne liberes, seu appendas*, cum ea versans, id est, ne forte tibi persuadeas, fore ut mortem et exitum vitae et vitam consequare, dum libidinoso socium te adjungis, nam *nutant, seu vagantur orbitae ejus, incerti et vagi sunt ejus gressus, a recta semita aberrant, te nesciente, vel ut non noveris, te a recto vitae itinere ad exitum proferare.* Gesenius et Umbreitius, *mentibus sejunctis: *viam vitae cavet adultera ne expendat?* existimantes, pingi illis verbis peccatorum cogitandi rationem, quae, dum alii sollicite expendant, quamnam via ad salutem ducat, eam adultera consulo negligat. Junctis membris de Wette et Ewaldus, *viam vitae ne expendat, nutant orbitae ejus, etc.* Maurer utrumque verbum *thepalles* et *theia* ad juvenem refert, eam autem particulam *ו* vim tribuit, quam saepe alias habet *ו*, hoc sensu, *viam vitam non poteris, seu tibi non licebit expendere, nutant viae ejus*, mulieris libidinosae, scilicet ut findantur, se aperiant ad eam ejusque sequaces vorandum, te non opinante, imopinato, subito. Vertendum ego censeo, *ne, id est, medium, libris, id est, sequatur, meretrix viae vitae sequi possit, ut e contra vagentur gressus ejus.**

ut magistratus, praefecturas, praelaturas, etc., q. d. Vide ne honorem et dignitatem officii tui, quod geris, commaneas infamia libidinis. Rursum ne ad majores dignitates, quas speras vel ambis, per dedecus nominationis tibi aditum praeludas. Ita Baynus. Nam, ut divine ait Cassiodorus, lib. IV *Variat. epist.* 12: «Magistratus esse debet innocens templum, temperantiae sacrarium, ara justitiae. Absit a judiciariis mentibus aliquid profanum. Pio principi sub quodam sacerdotio serviat.» Meretricies enim magistratibus tempus, vires, consilium, mentem eripiunt, ejusque dominantur: ut una meretrix saepe regat principem, princeps rempublicam; itaque republica tota a meretrice regatur proterve, avare, turpiter, injuste et tyrannice.

Tertio, per honorem accipe rerum praecleara gestarum deus et gloriam: haec enim obscuratur per conversationem cum meretricibus. Unde Symmachus verit, *ne forte des alteri gloriam tuam.* Sic Salomon dedit maculam in gloriam suam, eamque offuscavit per tot concubinas.

Quarto, per honorem accipe florem juventutis, ejusque decorem et robur: haec enim est et vocatur honor juventutis, juxta illud Virgilli: «Oculisque afflavit honorem, » q. d. Ne fornicando perdas decorem et robur juventutis, tibi que celerem senectam, imo mortem concilies: venus enim vires et sanguinem exhaurit, facitque hominem debilem, luridum, rugosum, canum, ut mortis simulacrum esse videatur. Unde Septuaginta vertunt, *ut non projiciat (alii, prodat) alius vitam tuam;* Vatablus, *ne des alius decus tuam.* Unde explicans subdit, *et annos tuos crudelis.* Saepe enim hic, aequae ac in Psalmis, posterioris hemistichium explicat prius, ut: «Deus in adjutorium meum intende, » explicatur per id quod subdit: «Domine, ad adjuvandum me festina.» Haec enim est synonymia et elegantia metri et rhythmici. Chaldaeus, *ut non des alius virtutem tuam;* Chaldaice enim est *לחך chelach*, id est tuum vigorem, strenuitatem, fortitudinem, et robur tam animi quam corporis.

Alludit ad Sansonem, qui honorem suum tradidit alienigenae, puta suae Dalilae Philistinae, cum illi revelavit suum fortitudinis secretum, scilicet suum robur, decus et honorem consistere in crinibus: illis enim ab ea detonsis quasi enervatus, captus a Philistinis, cum robore portentoso perdidit decus et vitam, *Judic.* xvi. Huc alludit Ecclesiasticus cap. ix, 6, dicens: «Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et haereditatem tuam.» Vide ibi dicta.

ET ANNOS TUOS SUBDIT. — Septuaginta, *etatem tuam immittis;* Syrus, *immersericordibus.* Per *crudelem* nonnulli accipiunt carnificem; Baynus, *maritum adulterum.* q. d. Cave ne ob adulterium perdas annos vitae, et plectaris capite a iudice per carnificem, vel occidaris a marito adultere, cuius torum violasti. Pleraque enim gentes, etiam

haereticæ et infideles, adulterium quasi reipublicam pestem puniunt morte, uti alibi ostendi.

Melius alii per *crudelem* accipiunt meretricem. Haec enim crudelis est, quia opes, famam et vitam multorum crudeliter auferit: licet enim Hebraice *אחזרי achazari* sit masculinum, tamen comprehendit et femininum, ut *Thren.* iv, 3: «Filia populi mei crudelis, » Hebraice, *אחזרי*; *Jerom.* cap. xxx, 14: «Perussi te castigatione crudeli, » Hebraice, *אחזרי.* Unde Ecclesiasticus eam comparat serpenti cap. xxv, 22: «Non est caput nequius super caput colubri; et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.» Vide ibi dicta. Et *Apos.* xvii, 6, meretrix Babylonia crudelis perhibetur: «Et vidi, ait, mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, et de sanguine Martyrum Jesu.» Hic autem proprie dicitur *crudelis*, quod annos vitae et sanitatis enervet, debilitet, abbreviet, succidat.

Aut, quod eodem redit, per *crudelem* accipe libidinem; haec enim crudeliter saevit in totum corpus vitamque hominis, quin et in mentem et animam, quam mille curis, zelotypiis, angoribus, remorsibus, peccatis, poenis, ac tandem tormentis gehennae exerciat. Vide S. Chrysostomum, homil. *De decollatione S. Joannis Baptistae,* et hom. *De muliere et pulchritudine,* et saepe alibi egregie hanc libidinis crudelitatem depingentem. Exstat de meretricum crudelitate emblemata hoc titulo:

Meretricis Iacis.

Sphingis, an haec potius vera est meretricis imago,

Quae fera crum lea, virginis ara gerit?

Saeper ait indicat blandas qua callida vultus,

Savitia prebet post monumenta sua.

Tropologica et mystice Lyranus, *ne des honorem tuum*, id est, Dei cultum (qui tuus dicitur, quia honor est in honorante), *alienis*, puta diis et idolis, et *annos tuos crudelis*, id est, daemoni, qui in sui cultores crudelis est, saevitque ut tyrannus, ideoque eis saepe sanitatem et annos vitae extorquet. Haussit hoc Lyranus more suo ex B. Salomone, qui sic explicat: «Ne des alienis honorem tuum, » id est, inquit, ne forte ad deos alienos converteris, ut eis gloriam, laudem decusque tuam impendas; «et annos tuos crudeli» principii gehennae, id est, daemoni; «ne forte impleantur extranei viribus tuis, » id est, ne idolorum sacrificii artibus suis et fraudibus pecunias tibi subducant; «et labores tui, » id est, opes labore tuo parte, sint in idolo, vel in domo sacrificii. Porro Midras per *crudelem* accipit angelum mortis.

Rursum peccator quolibet peccato dat honorem suum, puta gratiam et adoptionem in filium et haereditatem Dei, alienis, scilicet daemionibus, et annos vitae suae crudeli, scilicet Luciferi, cui vitae labores annosque impendit. Ita Salomus, qui sic

explicat, q. d.: «Spacia vitae, quae tibi dedit Deus, male vivendo ne tradas diabolo.» Et S. Gregorius, III part. *Pastor.* admon. 13: «Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli: Qui namque, ait, alieni a nobis sunt, nisi maligni spiritus, qui a caelestis sunt patrie sorte separati? Quis vero honor noster est, nisi quia in luteis corporibus conditi, ad conditoris tamen nostri sumus imaginem et similitudinem creati? vel quis alius crudelis est, nisi ille angelus apostata, qui et semetipsum poena mortis superbiendo percussit, et inferre mortem humano generi etiam perditus non peperit? Honorem itaque suum alienis dat, qui ad Dei imaginem et similitudinem conditus, vitae suae tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat. Annos etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem male dominantis adversarii accepta vivendi spatia expendit.»

Itaque peccatum, aequae ac diabolus, est crudelissimus peccatoris hostis, tyrannus et carnifex. Audi S. Chrysostomum, hom. unic. *De Penitentia:* «Concepti dolorem, ait, peperit iniquitatem. Concepti peccator delicti dolorem, et, si non penituerit, parit sibi mortem. Parvulus, antequam prodeat ex utero, dolor est matri; postquam vero editus fuerit, venit et gaudium. Peccatum vero conceptum coluber est in praecordiis hominis, parit mortem, nisi fuerit penititudo expiatur. Peccati conceptio serpens est in praecordiis latens. Consummatum, venenum spirat, et lethiferum generat morbum. Qui peccatum parit, in iudicium cadit; et si neglexerit, in ipso manebit. Natura suum mulier libenter perlectat, nam vero peccatum facit exitium nutrienti.» Idem, hom. 30 ad *Popul.*: «Vides, ait, quod demone pejus est peccatum? Et hom. 40: «Gravis, ait, gravis paralysis est peccatum.» Idem, hom. 2 in *Psalm.* l, peccatum vocat feram immanem, quae in Davidem insiliit, eumque allisit. Et in *Psalm.* cxxix, sub initium: «Nilil, ait, est quod ledat hominem, nisi solum peccatum; eo autem sublato omnia sunt facilia, explicata ac tranquilla: sicut, si id adsit, sunt omnia scopuli, tempestates et naufragia.» Unde concludit, viliosum hominem esse fera improbiorem.» Idem, hom. 33 in *Matth.*: «Magnus, ait, demon peccatum est: quod si abs te abjeceris, major tu eris, mihi crede, quam qui daemonia eieciunt.» Et hom. 3 *De Penitentia:* «Malorum omnium causam constat esse peccatum: ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi atque omnes quotquot nos premunt passiones.»

10. NE FORTE IMPLEANTUR EXTRANEI VIRIBUS TUIS, ET LABORES TUI SINT IN DOMO ALIENA. — Septuaginta, *et labores tui in domum alienam veniant;* Chaldaeus, *et laborem tuum introducas in domum alienam.* Jam vero viribus Jansenii et alii proprie accipiunt: has enim fornicando effundit fornicarius, ad explendam fornicariae libidinem. Per effusionem enim crebram seminis, et subinde sanguinis, effun-

duntur pariter multi spiritus vitales, quibus effusis exhauritur corpus et debilitatur. Viribus ergo extranei implentur, cum per eas impudicorum mulierum satifit desiderio, quas conservare oportuisset in procreationem prolis legitimum ex legitimo et moderato uxoris usu. Unde medici docent, et experientia constat, eos qui ante matrimonium luxuriose vixerunt, viresque suas effuderunt, postea inito matrimonio quasi enervae et eviratae, inhabiles et impotentes esse ad generandum, Deo simul castigante priorem libidinem per sequentem sterilitatem.

Verum quia meretricies proprie non implentur viribus fornicariorum, imo potius aequae ut fornicarii, fornicando vires suas debilitant, et enervant corpus suum; et quia Hebraei habent, *ne forte saturentur alieni robore tuo:* hinc potius per robur et vires accipias opes: hinc enim saturantur meretricies. Unde et Chaldaeus vertit *לחך chelach:* *רוח* *chait* autem Hebraice et Chaldaice significat primo, robur et vires; secundo, facultates et opes, quia in his robor et potentia divitum consistit. Unde Vatablus vertit, *ne forte saturantur alieni tuis quae viribus suis paravisti, et labores tui sint in domo aliena.* Sensus ergo est, q. d. Ne meretricies enervant tuas crumenas et opes, itaque labores, id est divitiae laboris tuo parte, transiant in domum villos et abominande meretricis. Posterior enim homistichium more metri explicat prius: sic vires, virtutes, robur vocatur divitiae *Job xxxi, 24:* «Si putavimus aurum meum;» *Psalm.* xlvi, 7: «Qui confidunt in virtute sua, et (id est) in multitudine divitarum suarum gloriantur.» Sic S. Paulus, *Hebr.* vi, 5, «virtutes venturi saeculi» vocat opes spirituales, puta gratias et charismata, quae erunt in futuro saeculo. *Prov.* x, 15: «Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus.» Ita Joannes Alba Electorum cap. lxxxvii, Cajetanus et Salazar hic. Meretricies enim non juvenes, sed juvenum crumenas et opes ambiunt, ac nunquam donis satiantur, donec omnia exhauriant, juvenesque dispolient, ut quae nudos et pauperes omnibus ridentos exponunt. Quocirca S. Chrysostomus, homil. 63 ad *Popul.*, meretricies vocat «patrimoniorum syztes et scopulos;» alii, «Scyllas et Charybdes,» uti dixi vers. 5. Sic filius prodigus totum patrimonium in meretricis exhausit, ut pre inopia coactus sit pasceri porcos, *Lucæ* cap. xv, vers. 17.

11. ET GEMAS IN NOVISSIMIS, QUANDO CONSUMPSERIS CARNES TUAS ET CORPUS TUUM. — Septuaginta hebraice est *נחמת nahama*, id est, rugias insuae leonis famelicæ, aut vulnerati et cum morte luctantis: sic enim et rugit, id est inconsolebiliter et miserabiliter luget et ejulat juvenis, cum fornicando consumpsit omnibus jam viribus, quam opibus, «in novissimis,» id est, demum vel tandem, invenit se opibus exhaustum, viribus et carnis consumptum, idque irrecoverabiliter. Te enim in novissimis idem est quod postea, sequenti tem-

pore, tandem: hoc enim significat Hebraice אורח אצור: Alii, « in novissimis, » id est, inquit, cum ad novissimam, id est extremam paupertatem et miseriam fueris reductus. Septuaginta פורת נחמה legentes כורת נחמה vertunt, et poenitentia in novissimis, quando contrita fuerint carnes corporis tui.

Quam amor viscera amantis exeat docet emblemata ovis bullentis, in qua inclusus liquor vel caro subiecta igne consumitur, de qua carmen:

Exta velat clausis fervor consumit in ollis,
Sic mea consumit viscera caecus amor.

Aliud emblemata est tedia, quae igne quo ardet, consumitur:

Qua nutritur pinguedine tedia tabescit,
Qua vivo, haec mortui, quam pereat, haec perit.

Rursus, sicut culices advolant ad flammam qua comburuntur, sic amantes ad amicas.

Porro libido totum corpus exaeriat, singulorumque membrorum vigorem et carnes exaurit. *Primo*, quia sanguinem et spiritus vitales, quibus aluntur et vegetantur omnes corporis partes, effundit. *Secundo*, quia laedit partes vitales, puta cerebrum, cor, iecur et stomachum, quae ceteris partibus nutrimentum dant et robur. Ex cerebro enim dicitur semen docet Galenus in Comment. lib. III *Epidemion*. Unde libidinis laborant cerebro, puta morbo comitali, fiuntque epileptici, ut experientia constat. Quare *libidinem* non aliud esse quam *parvam epilepsiam* dixit sophista Abderites apud Clementem Alexandrinum, lib. II *Pedag.* cap. x, eo quod totus homo per exanimationem concubitus abstrahatur. Et Alexander Magnus, cum deus a multis predicaretur, se, quod mortalis esset, deprehendere dicebat somno et concubitu. Somnus enim mortis imago, concubitus species est morbi comitalis. Ita Plutarchus in *Alexand.* *Tertio*, quia semen a singulis corporis membris et partibus decidit, ut singulas embryonis partes et membra membris parentis conformia efformare queat. Alia enim vis seminalis requiritur ad formandum caput, alia ad stomachum, alia ad cor, alia ad brachia, alia ad pedes embryonis efformandos. Igitur per semen cerebro effusum singula membra vacuantur et attenuantur, imo singulorum membrorum melior et nobilior portio, ac radicalis vite substantia, et medulla effunditur. Hoc est, quod ait S. Augustinus, *De Vera Religione* cap. xl: « Aliud (semen) totius animalis latentes numeros accipit, et inchoatur in prolem, sive convenientia duorum corporum, sive tali aliquo phantasmate commotum, per genitales vias ab ipso vertice deficit in infima voluptate. » Plura vide apud Tiraquelum, leg. 45 *Comubiali*, num. 43 et seq.

Mystice, omnia quae hic dicuntur de fornicatione accommodes culibet peccato et peccatori; hic enim vires bene operandi et merendi, ac opes

spirituales, puta gratiam et virtutes, ac jus ad hereditatem coelestem exhaurit, easque, quas dabo debuerat Deo, tradit peccato et diabolo: quocirca hanc suam stultitiam inensabit sero ardens in gehenna, factus demonum domicilium et Indubium. Ita Polychronius in *Catena Graecorum*: « Quod hic carnium, ait, detritioem vocat, hoc paulo ante virium consumptionem appellaverat; aut per corporis carnes concupiscendi vim accipit, per carnes autem spiritus virtutem et energiam. » Ibid. Basilii: « Ne, ait, in noviss. tui te peniteat, et doleas quando nimirum extractor accedet, corpusque quod magno ante studio curaveras, in terra pulverem vertendum deseres. In inferno enim quis confitebitur tibi? » Ibid. Gregorius: « Per carnium contritionem, ait, quamdam labem et corruptionem in carne infixam hic exprimit. Ceterum propter improba et scelerala opera permittit carnem Christi sacrilege contriunt, sanguinemque ejusdem pretiosum fode consumunt, communem nimirum illum ducentes. » Clarior et praeclearius S. Gregorius, III parte *Pastor.* admonit. 13: « Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena. Quisquis enim, ait, per acceptam valetudinem corporis, per tributam sibi sapientiam mentis, non exercendis virtutibus, sed perpetrandis vitis elaborat, nequaquam suis viribus suam domum, sed extraneorum habitacula, id est, immundorum spirituum facta multiplicat, nimirum vel luxuriando vel superbiendo agens, ut etiam se addito perditorum numerus crescat. Bene autem subditur: Et gemas in novissimis, quando consumperis carnes et corpus tuum. Plurimumque enim accepta salus carnis per vitia expenditur; sed cum repente subtrahitur, cum molestis caro atteritur, cum jam egredi anima urgetur, diu male habita quasi ad bene vivendum salus amissa requiritur. Et tunc gemunt homines, quod Deo servire noluerunt, quando damna negligentiae suae recuperare servidum nequaquam possunt. »

Harum luxuriae noxarum veritatem pulchro viperae et elephantis apologo, pulchris epithetis disperso, representat Cyrillus, lib. IV *Apolog. moral.* cap. ix: « Furibunda vipera, ait, ad coitum properanti, elephas obvisus quiescit ab ea, et dicit: Quo sic effrenato passu, jam effuso desiderii impetu, cupiditatis abruptissimo cursu ardent, mi carissima, properas et festinas? At illa vix percepto eloquio mox respondit: Nimirum, frater, anhele venerae suavitatis ad gaudium, accelero ad inconsummatam deliciositatis solatium, festino gaudioso felicitatis ad actum. Quo auditu castus et prudens elephas ejus non minus deceptioni, quam lethifera ferocitatis compassus, illico sic loentis est dicens: Fisioc certe quod furibunda luxuria oculos non habeat, et tunc hoc nequit videre quo ruat. Nimirum ad occasum amantissimae vitae tendis, ad basium mortis amarissimae proficisceris, ad morsum crentae lib-

idinis caeca animaris, duce furore. » Deinde ejus damna ita conglomera. « Quid enim est coitus, nisi deliciosa pernicies, mors latens, venenositas blandiens, dulcis effusio vitam perdens, amplexus destructionem moliens, et suavitas dire fallens? Te siquidem dilectione contenebrat, ac vita privat: canes ad morsus acutissimos instigat, equum infatuit, cattum furore tormentat; stultum passero suaviter evacuat, oculos occaecat, festore commaculat, rationem obscurat, beatissimam virginitatem violat, et vite horam decurtat. » Causam deinde delectationis venerae subijcit: « Ad haec, ait, vipera dixit: Si haec venis, ut asseris, inveni, ut quid in coito natura tantam delectationem intudit? Natura enim aequitate dominica neminem decipit, neque unquam sapientia eam gubernante erravit. Cui ille: Fateor, inquit, quod dixisti; attamen excessivum venerorum solatium lesionis eorum est evidens argumentum. Et nimirum ipsa venere corporis valetudo contunditur, et nisi tanta venere delectatio traheret, ad hoc natura ultra superfluum nullatenus moveretur. Venus enim per mille ululatus agitur, et ad scholae fornam ducit, qua puero suo mater blanditur. Quo dicto recessit. »

12 et 13. ET DICAS: CUR DETESTATUS SUM DISCIPLINAM, ET INCERATIONIBUS NON ACQUIREVIT COR MEUM, NEC AUDIVI VOCEM DOCTRINAE MEAE, ET MAGISTRIS NON INCLINAVI AUREM MEAM? — Verba sunt clara: significant enim ingentem, sed serum et inutilem dolorem et penitentiam vitae in libidinibus consumptam, quando luxuriosus nudus, miser et eger exclamabit, et miseris inutilibusque querelis cuncta pulsabit. Unde Chaldaeus vertit, *quomodo odi disciplinam, et eruditionem execratum est cor meum?* Syrus, et correctionem abominatur cor meum? Similis est, sed magis pathetica impiorum vox, *Sapient.* v, 6: « Ergo erravimus a via veritatis, et justitiae lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jaentantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra, » etc.

Pro non acquievit, Septuaginta vertunt, *deiquit*; Hebraice עָרַב מַלְאִים, id est sprevit; Theodotus, *excecerat*: Sunt hi quatuor gradus contumentionum correctionem. *Primo* enim totus cupidinibus implecti, si moneantur de eorum turpitudine, periculis et damnis, victi a voluptate non acquiescunt monitioni et momenti. *Secundo*, eum declinant et fugiunt, ne molestam sibi cantilenam demum audire cogantur. *Tertio*, eum spernunt. *Quarto*, eundem exacerbant, dum asperis verbis, risibus et probris eum afficiunt, eique pro beneficiis maledicta reperunt et rependant.

Pro *doctrinam* me Hebraice est מוֹרַי *morai*, quod Aquila, Symmachus, et Theodotus vertunt, *illuminationem meam*; proprie ad verbum veritas, *illuminationem* illi. Doctor enim et monitor suam

doctrinam et monitionem, velut pluviam distillat et impluit in aures et animum discipuli, ut restringat ardores concupiscentiae et libidinis, juxta illud Mosis, *Deuter.* xxxii, 2: « Concresecat ut pluvia doctrina mea, sicut ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, et quasi stillae super gramina. »

14. PENE FUI IN OMNI MALO, IN MEDIO ECCLESIAE ET SYNAGOGAE. — Valabius, *parum abfuit quin lapsus sim in malum contubernium, et ceterum omni mali*. Per *malum* ergo, cum Valabio *primo*, accipit malum culpe: libido enim est origo et causa omni mali, id est, omni culpa et peccati, ait S. Chrysostomus, *q. d. ait* Abba-Efra: Pene totum me in criminibus volutavi, idque in medio Ecclesiae et Synagoga. Et Janesius in *Propemodum* ait, incidit in omne malum in medio Ecclesiae et Synagoga. « Quod dupliciter accipi potest. *Primo*, ut sit sensus: Propemodum incidit in omne vitiorum genus, cum conversarer in coetu impiorum et carnalium hominum, ut per *Ecclesiam* et *Synagoga* intelligatur coetus malorum. Neque enim vocabula illa hic accipiuntur, ut distinguantur aliquando, sed significant ex sua natura coetum, qui *Ecclesia* dicitur, quasi convocatio; et *Synagoga*, quasi congregatio. Hoc enim ea nomina significant, et nonnquam pro malo coetu accipiuntur, ut: « Odivi Ecclesiam malignantium, » *Psal.* xxv, 11: « Exarsit ignis in Synagoga eorum, » *Psal.* cv. Itaque secundum hunc sensum verba haec sunt penitentis, et sero agnoscentis vitia, in quae prolapsus est exemplis et societate corruptae multitudinis. Sic et Origenes in *Catena Graecorum*, qui tamen caute legendus est, dum ait in damnatis in inferno manere semina virtutum, et sic misericordiam succurrendi fratribus mansisse in divite Epulone jam damnato (1).

Secundo, per *malum* accipit malum poenae, *q. d.* Pene omnia mala, hoc est calamitates omnes, me obruerunt, propemodum infelicitissimus factus sum omnium hominum, idque in conspectu totius multitudinis: hoc enim aggravat infelicitatem hominis, quod ea conspicua sit multitudini, et pauperem, debilem et inglorium respublica videat, quem prius viderat divitem, sanum et boni nominis ac famae.

Tertio, Polychronius in *Catena Graecorum*, per *omne malum* accipit omnem infamiam, qua scilicet fornicarius infamis fit coram Ecclesia, id est, coetu perfectorum; et coram Synagoga, id est, coetu infirmorum et imperfectorum. Praeclare S. Cyprianus, *De Singulari clerici*: « Respicit, ait, quanta mala conversatio pluralitatis hujus acquirit, quae non nisi corruptionem seminat, pullulat vitia, cupiditatem incognitam parit,

(1) In medio Ecclesiae: Rosenmullerus, *propalam*, omnibus spectantibus. Maurer, *inter medios meos, in sinu gremioque patriae, pacis et fortunae*.

rabiam concitat, porrigit furiam, lasciviam pascit, petulantiam nutrit, casus exaltat, ruinas edificat, rapinas eripit, præcipitia instruit, periculis navigat, naufragis velificat, perditione gaudet, interitum fovet, confusionem mercatur, thesaurizat opprobrium, criminationes exaggerat, accusationes inflammat, et catervatim semel in fascem glomerans numerosas indagines captionum, per infinita dedecorum multiplices mortes invehit in perniciem perditorum. »

Quarto, alii per malum accipiunt demonem, juxta illud : « Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, » id est, a demone, uti exponit S. Chrysostomus et Tertullianus, ut sensus sit, *q. d.* Dum inter scorta et scortatores versarer, versabar quasi inter demones impuros et scelestos, qui non nisi tartareum ignem, cui similis est libido, exhalant; videbar mihi vivus inter demones agere, et in inferno defossus.

SECUNDA PARS CAPITIS.

SUFFOCANDUM ESSE AMOREM MERETRICIS PER AMOREM UXORIS.

15. BIBE AQVAM DE CISTERNA TVA, ET FLUENTA PUTEI TVI.—Hebraice, et *fluenta de medio putei tui*; Syrus, et *fluenta ex fonte tuo*: in puteis enim est fons et scaturigo aquæ vivæ; Septuaginta, *bibe aquas de tuis vasis, et de tuorum puteorum fonte*; S. Hieronymus in *Ezech.* cap. xxxii, legit : « Bibe aquam de tuis aquis, et de puteorum tuorum fontibus; » Vatablus, *aqvæ et puteis tuis bibe, et fluenta ex fontibus tuis*; Arabicus, *bibe aquas de vasis tuis, et de puteis fontibus tuis*.

Note sunt cisternæ, in quas colliguntur aquæ, præsertim deciduæ et pluvivæ. Per *cisternam* et *puteum* R. Salomon accipit legem Moysi, de qua et sequentes versæ usque ad vers. 20 intelligit; R. Levi accipit mentem sive intellectum et rationem; alii passim sapientiam, *q. d.* Hauri aquam, id est, sanam doctrinam morum, ex lege Moysi, dictamque mentis et rationis, atque a sapientia quam tradit S. Scriptura. Verum hæc mystica sunt, de quo mox pura.

Igitur ad litteram primo, Cajetanus per *cisternam* et *puteum* accipit fundos et facultates, *q. d.* Vive jucunde cum uxore tua et tuis facultatibus. « Deriventur fontes tui foras, » et ex facultatibus tuis largas disperse elemosinas. « Habeto eas solus » cum uxore tua, « ne sint alieni participes tui, » id est, ne eas profunde in meretricis et leones, de quibus sermo præcessit. Sic et S. Basilus in *Psal.* xiv : « Bibe igitur, miser, ait, de tuis vasis aquam, ut ait Salomon, hoc est, proprias considera facultates et subsidia vite: non ad alienos fontes propera, sed ex proprii fontis scaturigine tibi vitæ solatia collige. »

Favent Septuaginta qui pro *habeto eas solus*, verunt, *ego et pater* ἡμεῖς καὶ πατήρ, id est, *sint tibi soli exist-*

Quinto, per omne malum accipe gehennam. Sic enim in celo est omne bonum, sic in inferno omne malum; in terra vero inter utrumque media participatio utriusque est, ac mixtio mali et boni, ut sensus sit, *q. d.* Per libidines pene prolapsum sum in gehennam; passus tantum inter me et gehennam inturrit, ait R. Salomon. Ponitens ergo dicat cum S. Maria Ægyptiaca, « Misericordias Domini in æternam cantabo, » quia, nisi manus Domini tenuisset me, lapsus fuisset in gehennam, in quam libidine actus ultro rueram; sed dextra Dei ruentem tenuit et stitit. Et cum Isaia cap. i, vers. 9 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuisset, et quasi Gomorra similes essemus. » Hoc est, quod ait S. Augustinus in *Psal.* cxi : « Amores turpes quantas molestias habent! quantas solitudines hic in ista vita! omitto gehennam. Vide ne jam ipse tibi gehenna sis in hac vita. »

tentia, id est facultates. Verum ἡμεῖς καὶ πατήρ, id est existantia, accipe potius sic, *q. d.* Tibi soli existant aqua cisternæ tuæ, ut exteri eas non occupent. Unde Romani verunt, *sint tibi soli possessores*. Adde toto hoc loco non de facultatibus, sed de mulieribus esse sermonem; atque cum hæcenus egerit de odio et fuga meretricum, jam ad idipsum remedium suggerit amorem uxoris propriæ. Sed, quia carnalis et lubrica hæc materia castis auribus est exosa, hinc per paræmias et parabolas honesta quasi periphrasi eum circumseribit; quas deinde in postparabola explicat dicens, vers. 18 : « Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, » *q. d.* Hæc omnes parabolæ cisternæ, putei, fontium a me hucusque allate, non aliud significant, nisi ut diligas uxorem, quam in adolescentia virginem tibi despondisti, quam eaque te exhiberis: sie enim fiet ut non quæras illicitas voluptates et amores meretricum.

Secundo ergo et genuine, per *cisternam* et *puteum* accipe uxorem, ex qua marito hauritur aqua pura, id est casta voluptas matrimonii et procreacionis liberorum. Alludit ad etymon Hebræum; Hebraice enim femina dicitur נקה *nekebe* quasi נקה *mackebet*, id est cisterna. Unde Isaia, cap. li, 4 : « Attendite, ait, ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam lacu (Hebraice *mackebet*, id est cisternam), de qua præcisi estis, » quam parabolam explicat subdens : « Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quam peperit vos. » Hæc ergo sententiæ : « Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui, » etc., sunt proverbialis sive paræmias et parabole, que sensu parabolico ad litteram non aliud significant, nec aliud castis auribus sonant quam : Dilige uxorem

tuum, ea utere honeste in timore Dei; cum ea lætare, ut per illam restringas sitim concupiscentiæ, et multos egregiosque liberos procrees. Ergo voluptatem conjugii castam, puram et fecundam hauri de uxore tua, quæ tibi sit instar cisternæ puræ carentis luto fornicacionis, morositas, zelotypie, etc.; talis enim quærenda vel formanda est uxor, scilicet casta, morigerâ, hilaris, non morosa, nec zelotypa. Ita Beda, Hugo, Jansenius, Vatablus, Baynus, imo S. Hieronymus in cap. iii *Malachia*, et S. Chrysostomus in cap. i *Matth.* Quocirca huic sententiæ Salomonis antitrophe respondet illa Ben-Syra *alphabeto* 1, littera *mem* : « Aqua mulieris quæ virgo juvenis est, dulces sunt, et augent vires; sed aqua mulieris vetulæ amare sunt ut absinthium, et debilitant vires, ut cisterna, quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo absorpsit. » Deus enim ad sedandum ignem et sitim libidinis instituit matrimonium, et quæ gratiam suam addixit, ut conjuges caste hoc suo statu et vocatione, ad quam a Deo vocati sunt, vivant, præsertim in novo Testamento, ubi Christus matrimonium effecit Sacramento, quod conjugibus gratiam ad castæ et socialiter vivendum ex opere operato confert. Hanc gratiam cœlestem innuit vox *cisterna*, quæ aqua pluvia et cœlis defluente impletur. Illic fit ut usus uxoris restringat cupiditatem libidinis, non vero usus meretricis, qui magis eam accendit: libido enim vaga et intemperans similis est hydropi, qui in hydropicis continuam excitat sitim, ut quo plus bibunt, eo plus sitiunt, ut docet S. Augustinus, *De Genes. ad litter.* lib. IX, cap. x, et *Ecclesi.* cap. xxvi, vers. 13 : « Sicut viator sitiens, inquit, ad fontem os aperiet, et ab omni aqua proxima bibet. »

Plura physica et medica dici possunt de analogia cisternæ et putei cum femina, sed castis auribus parco, sequorquæ Apostolum monentem : « Non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem, » *Rom.* xii, 3. Sufficiat quod, sicut aqua et puteo et fonte hauritur, sic ab uxore jucunditas et numerositas filiorum fidelium et proborum. Hinc Jacob, Isaac, Abraham cum Rachele, Rebecca, Sara, fuerunt velut « fontes quidam generis humani, » ait S. Ambrosius, libro *De Isaac*, cap. iv, et specialiter « devotionis ac fidei. Quid enim est puteus aquæ vivæ, nisi profunde altitudo doctrine? Unde et Agar ad puteum Rachelem sibi invenit uxorem, *Genes.* xxix. Moses quoque secus puteum futuri locavit merita prima conjugii, » *Exodi.* ii. Hæc S. Ambrosius. Idem uxoris et conjugii remedium ad vitandam fornicacionem suggerit Apostolus, *Hebr.* xii, 4, dicens : « Honorabile conjugium, et torus immaculatus; fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. » Et i *Corinth.* vii : « Propter fornicacionem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum. »

Jam hæc sententiæ Patres mystice, sed varie admodum exponunt, variisque accommodant. Primo, Origenes, homil. 12 in *Numer.* ad illa verba, *De puteorum tuorum fonte* : « Unus, ait, puteus est scientia Patris, alius puteus cognitio Filii, tertius puteus cognitio Spiritus Sancti. Sed horum puteorum unus est fons : una enim substantia est et una Trinitas. » De hoc fonte ait Dominus, *Jerem.* ii, 13 : « Me devoliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. »

Secundo, S. Augustinus, lib. II *Contra Crescon.* cap. xiv, per *puteum* et *fontem* accipit Spiritum Sanctum, per aquam dona Spiritus Sancti, quæ participant soli fideles et sancti, non heretici et impii. « Hujus, ait, fontis largo atque invisibili flumine lætificat Deus civitatem suam, de qua Propheta prædixit : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Ad hunc enim fontem nullus extraneus, quia nullus nisi vitæ æterna dignus accedit. Hic est proprius Ecclesiæ Christi, cui tanto ante prophetatum est : fons aquæ vitæ sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi. De hæc enim Ecclesia, et de isto fonte dicitur et in Cantico Canticorum : Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ. » Idem, tract. 6 *in epistol.* S. Joannis : « Quid est, ait, de fonte aliens non liberis? Spiritus alieno ne credideris. » Simili modo S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. xx, per fontem accipit Filium Dei, puta Christum : « Quis dubitet, ait, flumen esse vitæ Dei Filium, de quo æternæ vitæ flumina profuebant? Bona ergo aqua, spiritualis gratia. Quis hunc fontem dabit pectori meo? in me saliat, in me fluit vitæ largitor æternæ; superfluit in nobis fons iste, non effluit. Dicit enim Sapientia : Bibe aquam de tuis vasis et de puteorum tuorum fontibus, inquit, plateis tuis superfluant aquæ tuæ. Quomodo hæc tenebo aquam non effluent, ne qua penetrans rima peccati æternæ vitæ distillet humorem? Doce nos, Domine Jesu, doce sicut docuisti tuos Apostolos, dicens : Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra. »

Tertio, S. Ambrosius lib. *De Isaac*, cap. iv, per *puteum* et *fontem* accipit sapientiam et morale doctrinam, quæ medetur libidini et concupiscentiæ : « Eo quod adversus tentamenta mundi, ait, remedium nobis vera sapientia sit, moralis quoque doctrina, quæ imaginem mundanæ voluptatis meretricis quibusdam illitam facis irrogulo suo diluat, et fluente suo fontis abstergat. » Sic et Patres Greci in *Catena*, ut Olympiodorus : « Bibe aquas, ait, hoc est, salutaris vitæ documenta ex sacris et divinis litteris hauri, et pietatis potum ex divinæ cognitionis puteis, que jam inde ab initio familiariter nobis cohabitavit, fontisque nomen accipit. Ex quo fonte proscuturum pocula, quæ mentem refocillant, animumque recreant, ac sese in plateas in quibus sapientia libere concionatur, copiose diffundunt. Non sicut